

SPCA, 192

Anno dominice incarnationis millesimo centesimo octuagesimo septimo, tercio die kalendas iunii, indictione quinta. Facius Rogna et Iohannes eius frater investiverunt Marchexium de Nairone nominative de boscho illo quod habent ipsi in Gerençago et in eius territorio et iacet in campo Sancti Iohannis et est iugera tria sive plus vel minus fuerit; coheret ei: a sero terra colta suprascripti Marchexii et Bernardi Paucacarne, a meridie filiorum Vassalli de Ariperti, a mane Alberti de Fico et via, ab nulla hora Ottone Cane de Villa, et est prima pecia et est iugera duo. Secunda pecia iacet ad la Valem Scipetam et est iuger unum; coheret ei: a mane illi de Inverno, a meridie Sancti Salvatoris, a nulla hora Otto Butigella, a sero Lafrancus Capello, omnia cum omnibus inintegrum, eo modo quod ipse Marchexius et sui heredes exinde omni tempore dare habent fictum omni anno in kalendis agusti per pacem starios duos et minam de pulcra sycala in laude duorum bonorum hominum si discordia fuerit inter eos ad iustum starium Papie, tracta et conducta in solario eorum, et ipsi debent dare ad manducandum illi qui deducet fictum secundum quod convenerit diei; et si ipsi Marchexius et sui heredes laxare voluerint suprascriptum boschum et omni anno non persolverint eis suprascriptum fictum ut supra legitur, promiserunt eis dare nomine pene solidos quadraginta, rato manente pacto, unde obligavit ei pignori sua bona. Et si ipsi facius et Iohannes et sui heredes ei tolere voluerint et ab omni homine cum ratione non disbrigaverint, tunc promiserunt ei dare nomine pene solidos quadraginta, rato manente pacto, unde obligaverunt ei pignori eorum bona. Et ita habeant et teneant ipsi Marchexius et sui heredes masculi et femine tantum suprascriptum boschum et faciant exinde quicquid voluerint sine contradictione suprascriptorum germanorum et eorum heredum et cum eorum defensione ab omni persona cum ratione in pena dupli.

Actum civitate Ticini. Feliciter.

Suprascripti fratres et Marchexius hoc breve fieri rogaverunt.

Interfuerunt Calvus de Roxassco et Petrus de Ançanno, Albericus de Sancta Agatha testes.

Ego Petrus notarius sacri palatii interfui et hoc breve tradidi et scripsi.